

### III. Probl. Arithmeticum.

Quid sentiendum de Regula Falsi, in qua ex  
binorum falsorum numerorum suppositione  
elicitur verus quæsitus?

Mira alicui apparere posse inventio quæsiti per Reg. Fal-  
si, eaq., vel ipsis falsis hypothesibus quâ talibus, sicut in Dialecticis  
ex merè falsis verum potest colligi; vel certè fortunæ benignitati  
asscribenda.

Verum enim verò nullus hic fortunæ locus, nullus falsitati  
hypothesum: sed proditur numerus ignotus ob legitimam & ne-  
cessariam proportionem, quæ ipsum hypothesibus & erroribus  
intercedit. Sunt autem plures modi procedendi, quorum duo po-  
tissimum universales sunt. Alterum exponit Pitiscus in appen-  
dice 5. lib. sua Trigonom. ut satis perspicue, ita satis quoq; prolixè.  
Alterum modum operandi nos exhibemus, unâ operâ, (ut com-  
pendium verborum faciamus) in exemplo quodam præterexpli-  
cationem terminorum necessariorum etiam causam operandi,  
quam fieri potest clavissimè, ostensuri.

Interrogat quidaam, quia hora inchoari soleant disputatio-  
nes Philosophicae in acad. Lips. Respondet alter: si dimidium hora-  
rum, quibus finis imponi solet ejusmodi disputationi, addideris di-  
midio durationis, cognosces initium. Durat autem ut plurimum  
4. horas.

Fingentes nunc, q. nobis ignorum sit id, quod queritur, sup-  
ponamus pro prima hypothesi finem disputationis esse horam 10.  
antemerid. Hujus dimidium, (5.) cum dimidio durationis (2.)  
facit 7. numerum erroneum primum, cuius differentia à scopo pro-  
posito (6.) (Hæc enim hora debet esse initium, si 10. est finis, uti supponitur)  
est 1, error primus, excessivus h.l.

Assumamus alteram hypothesin, fingentes disputationem,

A 3

finiri